

La Pancarte Noire de Saint-Martin de Tours, brûlée en 1793, restituée d'après les textes imprimés et manuscrits, Nr. 63

Cum ex rebus ecclesiasticis alicui pro temporali commodo beneficia oportuna praestantur, consequens et dignum est ut ex rebus propriis ea rependere studeat, quae usibus proprie proficua fiant Ecclesiae suisque ministris accepta atque grata et ita Scripturarum serie alligetur, et quod rationabiliter factum fuerit, nullatenus in reliquum possit divelli, sed ratum et inviolabile valeat permanere. Quapropter nos, in Dei nomine, Rotbertus, gregis incliti confessoris Christi beati Martini necnon et rerum abba, percognitum et manifestum esse volumus Christi fidelibus et praecipue et prae omnibus successoribus nostris, abbatibus ejusdem sancti Martini, quoniam accessit ad nostri regiminis familiaritatem quidam venerabilis vasallus, Gualterus nomine, et uxor ejus Girberga, tractantes modum fragilitatis humanae, metuentes nimium propter magnam suorum criminum enormitatem extremi diem Juditii et reminiscentes bonitatem Dei dicentis: «Date eleemosinam et omnia munda fient vobis». Idcirco pro remedio animarum suarum obtulerunt omnipotenti Deo et sancto confessori ejus Martino ac nobis, more precario, ad usus suorum canonicorum, alodium suum proprium, situm in pago Pictavo, in vicaria Lugdunensi, in villa vel circa villam Gaudiacum cum domibus, vineis, terris cultis et incultis, in quibuscumque adjaceant locis, et culturis ad sufficientiam et cum omnibus aliis rebus sibi pertinentibus. Dederunt etiam eidem sancto Martino alodium alterum situm in pago Pictavo et in praefata vicaria, in villa Bernegunno cum terris, viridario, aquis aquarumque decursibus ac farinario juxta viridarium ipsum, cum horto et arboribus, et mansellos serviles IIII, cum culturis dominicatis et hominibus utriusque sexus desuper commanentibus, cum Edrado scilicet et Christiano atque Ingelberto et uxore sua Deodata et infantibus eorum, cum Ingiltrude et etiam cum Maria atque infantibus eorum quatuor, Rogerium denique cum infantibus suis, Adalgardi etiam et filia sua Domildi atque matre ejus Deodata, et item Domildi cum Joanne quoque et filio ejus Siglenaldo, et Odone filio Rogerii, id est mancipiis XIIIII et omnibus rebus aliis ad ipsum alodium pertinentibus. Dederunt etiam in tertio loco, in pago Turonico, in vicaria Aguliacinse, in villa Pausiniaco, alodium tertium cum terris cultis et incultis et, exceptis illis, culturas IIII amplissimas, cum mansili et hortulo et viridario et puteo et de vinea prope deserta aripennos XVI, cum prato super fluvium Bredonnam aripennos VIIIII et cum area in ipso fluvio ad molendinum faciendum, cum silva etiam ad saginandos porcos .CCC. et cum omnibus aliis rebus sibi pertinentibus vel aspicientibus. Dederunt denique in quarto loco, infra leugam .I. ab isto alodo, alodium quartum situm in ipso pago et in ipsa vicaria, in villa Montis Orfildi cum mansile et terris, pratis ac viridario, exitibus et ingressibus suisque omnibus utilitatibus et adjacentiis et cum mancipiis, si reperti fuerint, Theodulfo cum uxore sua ac infantibus suis; pertinent namque ad istos quatuor prefatos alodos, ut fertur, tantum de culturis dominicatis et aliis terris, unde possunt confici vel colligi per quartas, si pax fuerit, mansi reddentes quinque. Haec omnia superius commemorata, cum omnibus sibi pertinentibus, sancto Martino et nobis, ipsius rectori, ac fratribus perpetualiter ad possidendum sua propria voluntate contulerunt, postulantes suppliciter charitatem nostram, ut in recompensatione hujus eleemosinae, more precario ac fructario usu, cum ipsis quas dederant rebus, concederemus illis et Gerbaldo, filio eorum, quem clericalem ponunt, et Isaac fratri ejus, post eorum disgressum, cum consensu Sancti Martini nostrorumque canonicorum, ex rebus Sancti Martini, quas ipse Gualterius, quasi in

beneficio, habebat, mansos olim reddentes, sed modo — excepto uno et medio — penitus absos XV, villam videlicet Montis, Sadobrio pertinentem, cum domibus, vineis, terris et omnibus illorum aliis adjacentiis et hominibus utriusque sexus desuper commanentibus, ad censem nobis vel successoribus nostris ad usus fratrum annuatim reddendum, nostra auctoritate concederemus. Quorum petitionem non superfluam sed ecclesiae Sancti Martini augmentis et profectibus perutilem et proficuam cognoscentes, concessimus cum consensu, ut diximus, Sancti Martini canonicorum nostrorumque aliorum fidelium, praenominato nobili viro Gualterio et uxori ejus Gerbergae, et post illorum digressum, duobus infantibus illorum, Gerbaldo scilicet et Isaac, praescriptos quatuor, quos Sancto Martino condonaverunt, alodos, sub omnibus illorum integritatibus et insuper ex beneficio illorum, id est ex rebus Sancti Martini XV, quos petebant integerrime, mansos, cum domibus, ut diximus, vineis, terris et hominibus utriusque sexus desuper commanentibus, arboribus et ripatico in fluvio Ligeris, exitibus et ingressibus et omnibus illorum aliis adjacentiis et utilitatibus, sitos in pago Blesinse, in vicaria Sadobrinse inter villam, quae dicitur Montis, et Giliacum, eo siquidem rationis ordine et tenore, ut pro predictis simul omnibus rebus, studeant reddere annis singulis, in canonicorum Sancti Martini generales usus, ad missam ejusdem sancti Martini autumnalem, exinde censem solidorum X et sic, quamdiu advixerint, praetitulatas simul omnes res ipsas, videlicet quas Sancto Martino condonaverant, quasque ex rebus Sancti Martini petierant, quieto jure et ordine teneant et possideant, et post illorum digressum, praescripti illorum infantes, quamdiu advixerint, sub simili censura cum omni emelioratione teneant et possideant, habentes licentiam desuper aliquid voluerint et potuerint emeliorandi, sed post illorum quoque digressum, pars Sancti Martini ac fratrum, cum omni emelioratione, sine alicujus expectata consignatione in jus et potestatem Sancti Martini ususque suorum canonicorum integerrime revocare studeat et possideat. Si autem ex instituto censu negligentes aut tardi extiterint, id ipsum secundum usum et consuetudinem terrae emendare, quantocyus (sic) studeant, et quod tenuerint non amittant. Et, ut hujus praecariae auctoritas, in Dei nomine, a nobis facta esse credatur et in reliquum firmior habeatur, manibus propriis, sub signo sanctae crucis, eam corroborare studuimus et canonicos Sancti Martini ac nostros subscribere rogavimus.

Signum sanctae crucis domni Rotberti abbatis.

Signum Gualteri et uxoris sua Gerbergae, qui hanc precariam fieri deprecati sunt.

Gauzuinus, levita et decanus, subscrispsit.

Data est autem haec precaria kalendas marcas, in civitate Turonis, in pleno fratrum capitulo, anno VII regnante Karolo rege.

Ego Archanaldus, levita et scholae primus, rogatus, scripsi et subscrispi.